UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri|| quatuor.||

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio sexta. Vtrum viatori manenti in statu viæ possit communicari visio Dei intuitiua, quæ non sit beatifica.

urn:nbn:de:hbz:466:1-72607

Visual Library

quæst.2. quàm bonitas per quam beatus est bonus formaliter & bonitas qua frigefcens dicitur bene se habere formaliter, & sic patet minor, sequitur ergo conclusio principalis .s. quod Deus secundum se non est immediatum obiectum delectationis & in hoc confirmatur prima ratio posita ad hoc primo libro prima dist. quæ erat ꝙ immediatum obiectum amoris concupiscentiæ ad quam pertinet delectatio non potest esse res subiecto distincta a concupiscente. Cõtra tamen rationẽ istam opponuntur multa quę sunt soluta in.1.lib.dist.1. Itẽ ꝙ delectatio pertineat ad amorẽ concupiscentiæ probatur sic, amor habens pro formali ratione obiecti bonũ delectabile vel vtile est amor concupiscentiæ, sed delectatio est huiusmodi, ergo &c.

9 Contra hoc instatur quia delectatio non solum habet pro obiecto bonũ vtile vel delectabile imò etiã bonũ honestum, sed hæc instantia nulla est quia sufficit ad propositum nostrum ꝙ ille amor qui habet bonum delectabile vel vtile pro obiecto sit amor concupiscentiæ, & voco bonũ delectabile non ꝙ delectat formaliter, quia hoc est delectatio, sed illud quod delectat vt immediatum obiectum de quo habetur delectatio siue ipsa efficiatur ab obiecto siue non. Itẽ dato ꝙ obiectum delectationis esset bonum honestum adhuc habemus propositum, quia bonum honestum non est aliquid bonum per se subsistens, sed est bonum & perfectio alteri inhęrens sicut virtus vel aliquid tale, & sic redibit ꝙ res subiecto distincta concupiscente & maximè subsistens non potest esse immediatũ obiectum delectationis, bonum enim vtile, delectabile, & honestum sunt obiectum concupiscentiæ secundum vnam communem rationem repertam in eis quæ est ratio commodi, & quia nihil extrinsecum & maximè per se subsistens potest esse commodum alterius nisi ratione alicuius actus per quem attingitur qui est commodum nostrum formaliter, ideo nihil extrinsecum & maximè per se subsistens potest esse immediatè bonum nostrum vtile, delectabile vel honestum.

10 AD Rationes principales. Ad primã dicendum est per interemptionẽ minoris, & cùm probatur, quia bonitas Dei est prius visa ꝙ bonitas visionis, concedatur, sed non est prius visa vt bona nobis in patria quàm bonitas visionis ratione cuius Deus est primo bonus beatis, & quia bonitas Dei absolutè nec desideratur à nobis nec in ea delectamur, nec in via, nec in patria, ideo visio bonitatis diuinę absolutè in patria vel cognitio eius in via nõ sufficit ad desiderium vel delectationem.

11 Ad secundam dicendum ꝙ maior propositio est falsa, quia quãdo bonũ habitum est magis dilectum ꝙ eius habitio illud quidem bonum potest esse immediatum obiectum amoris amicitiæ sicut est de Deo vel de amico cui bonum volumus, sed eius habitio & non ipsum habitum est immediatũ obiectum amoris cõcupiscentiæ siue quantum ad desiderũ siue quãtum ad delectationẽ, verbi gratia in exemplo eorũ amicus præsens est immediatũ obiectum amicitię, sed eius præsentia quã desideraui dum essem absens & in qua delector dum est prędens est immediatum obiectum concupiscentię & non ipse amicus qui est amicus siue sit præsens siue sit absens, & quia quod amatur amore amicitiæ magis amatur ꝙ illud quod amatur amore concupiscentię, ideo tale amatum quãuis sit illud simpliciter magis quod amatur ꝙ eius habitio, tamen nõ est immediatius amatum amore concupiscentię, sed eius habitio, si autẽ tam habitũ quàm habitio pertineant solũ ad amorẽ concupiscẽtię, tunc est vniuersaliter verũ quod dicunt, quia illud quod est plus amatum, est immediatius amatũ, vt patet in cibo & in potu, nõ autem quando alterum pertinet ad amorẽ amicitię. s. bonum habitũ, alterũ verò ad amorem concupiscentiæ scilicet habitio eius.

12 Ad tertiam patet responsio, quia illud quod est obiectum summæ cognitionis & dilectionis non est immediatum obiectum summę delectationis, quia obiectum summę dilectionis & summæ delectationis quæ est dilectio amicitiæ est summum bonum secundum se, sed obiectum summæ delectationis est illud quod est summũ bonum ei qui delectatur, illud autem nõ est deus secundum se vt probatũ fuit, sed visio eius quę est summè bona inter ea quæ sunt nobis bona formaliter.

Exprol.q.1 13 Ad quartã dicendum ꝙ maior propositio est falsa, quia cùm charitas pertineat ad amorem amicitię obiectum eius est Deus secundum se inquantum Deum diligimus propter se, fruitio autẽ nõ pertinet ad amorẽ amicitiæ sed concupiscentiæ cuius Deus nõ potest esse immediatum obiectum cũ non sit immediatè bonum nostrũ, & tamen fruitio beata dicitur elici mediante habitu charitatis, quia & visionem Dei quæ erit immediatum obiectum fruitionis & nosipsos referemus in Deum tãquam in finem vltimum.

QVÆSTIO SEXTA.

Vtrum viatori manenti in statu viæ possit communicari visio Dei intuitiua quæ non sit beatifica.

SExto quæritur vtrum viatori manẽti in statu viæ possit communicari visio Dei intuitiua quę non sit beatifica. Et arguitur ꝙ sic, quia cui potest communicari visio Dei intuitiua absq; hoc ꝙ communicetur ei dilectio Dei vel delectatio, illi potest cõmunicari visio Dei intuitiua quæ nõ est beatifica, sed viatori potest cõmunicari visio Dei intuitiua absq; hoc ꝙ communicetur ei dilectio vel delectatio, ergo &c. Maior probatur, quia ad beatitudinem nõ solum requiritur cognitio Dei intuitiua, sed dilectio & delectatio sequens illam cognitionem quę se habet in beatitudinem ex æquo cum visione (vt quidam dicunt) vel principalius ꝙ visio (vt alij sentiunt) vel minus principaliter quanuis essentialiter (vt tenent sic arguentes) igitur cui communicaretur visio sine dilectione vel delectatione talis visio nõ esset beatifica cũ nulla res maneat subtracta quacũq; essentiali parte sui, & hęc fuit maior, minor similiter probatur, quia in habentibus ordinẽ Deus potest facere prius sine posteriore, sed visio se habet ad dilectionem & delectationem sicut prius ad posterius, ergo Deus potest communicare alicui visionem sui intuitiuam absq; dilectione & delectatione, & hęc fuit minor, sequitur ergo conclusio.

2 Item cuicunq; potest cõmunicari visio Dei per vnũ instans illi potest communicari per totum æternum, sed visio Dei intuitiua non beatifica potest communicari, & communicata fuit alicui per vnum instans sicut Paulo in raptu qui vidit Deum intuitiuè, nec tamẽ fuit beatus, sed mãsit viator, ergo illa visio potuisset ei communicari per totum æternum, nec fecisset eum beatũ. Maior patet, quia breuitas vel diuturnitas nõ facit possibilitatẽ vel incõpossibilitatem aliquorũ, sed oppositio vel repugnantia quæ si non sit pro vno instanti non erit pro toto æterno. Minor declarata est. Et confirmatur hæc ratio, quia propter maiorem vel minorem permanentiã vel durationem nõ est aliquid melius essentialiter sicut arguit Arist.1.Ethic. contra Platonem, & ideo si visio quam habuit Paulus in raptu fuisset semper in eo continuata non propter hoc fuisset essentialiter perfectior, & ideo si non fuit beatifica in raptu non fuisset beatifica si ipsi semper fuisset continuata.

3 Item cui potest cõmunicari visio Dei intuitiua absq; hoc ꝙ ei communicetur visio aliarum rerum quam habent beati communiter illa visio nõ est beatifica, sed alicui viatori potest communicari talis visio & fuit communicata, ergo &c. Minor probatur vt prius in Paulo cui communicata est visio diuinæ essentiæ in raptu & tamen nõ fuit ei communicatũ quod sciret an fuisset in corpore an extra corpus sicut dicitur.1. Cor.12. quod tamen omnes beati communiter sciunt, quare &c. Et si dicatur ꝙ visio beatifica cõsistit in visione diuinæ essentiæ & nõ in cognitione aliarum rerum secundum illud Aug. lib. confess. Infœlix homo qui illa scit te autem nescit, fœlix autem qui te scit etiam si illa nesciat, qui autem te scit & illa non propter illa, sed propter te solum beatior, nõ valet, quia illud solum intelligẽdum est de beatitudine viæ & nõ patriæ, & dato ꝙ intelligeretur de beatitudine patrię intelligendum esset secundum ꝙ ly propter dicit causam vt sit sensus quòd causa beatitudinis nõ sit nisi visio dei, sed illa visio non est beatifica sine cognitione creaturarum, quia licet cognitio creaturarum non sit causa propter quam aliquis est beatus, est tamẽ causa sine qua nullus esset beatus.

4 IN

4 IN Contrarium arguitur, quia illud non potest communicari viatori propter quod status patriæ distinguitur à statu viæ, sed status patriæ distinguitur à statu viæ per hoc quòd cognitio patriæ est intuitiua, cognitio verò viæ est enigmatica secundum illud 1. Corin. 13. Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem, visio ergo Dei intuitiua non potest communicari viatori quin sit beatifica, & per consequens viator nō erit simpliciter viator.

5 RESPONSIO. Sicut fuit prius dictum beatitudo accipitur dupliciter. Vno modo pro statu cōprehendente omnem perfectionē homini possibilem, & sic definitur à Boëtio ꝙ beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus, & hoc modo beatitudo nō consistit in aliquo vno bono vel in aliqua vna perfectione, sed in omnibus simul. Alio modo accipitur beatitudo pro summa & optima hominis perfectione, & sic beatitudo consistit in optima hominis operatione quæ est optimæ potentiæ respectu optimi obiecti. Hoc supposito dicendū est ꝙ aliud est quærere vtrū visio Dei intuitiua possit cōmunicari alicui absq; hoc ꝙ sit beatus beatitudine primo modo dicta prout dicit statum oīm bonorum aggregatione perfectum, & aliud est quærere vtrum potest cōmunicari alicui absq; hoc ꝙ sit beatus beatitudine quę dicit potissimum actum & potissimā perfectionem, si primo modo intelligatur quæstio nullo modo est dubia, quia constat ꝙ visio Dei intuitiua potest cōmunicari alicui absq; hoc ꝙ habeat dotes corporis & multa alia quæ requiruntur ad statū beatitudinis, sic enim factum est in Christo, & in Paulo, & in Moyse, sicut dicit Aug. super Gen. ad literam, oportet ergo si quæstio sit dubia sicut debet esse omnis quæstio, ꝙ intelligatur secundo modo, scilicet, vtrū visio Dei intuitiua possit cōmunicari alicui viatori absq; hoc ꝙ sit beatifica, hoc est, absque hoc ꝙ beatificet ipsum formaliter vt supremus actus in quo consistit beatitudo, & sic intelligendo quæstionē, dicendum est ꝙ non. Cuius ratio est, quia quando duo actus sunt eiusdem rationis, specificę & æquè perfecti in illa specie necessarium est ꝙ perficiant suum subiectum æqualiter perfectione formali & specifica, & oppositū huius videtur implicare contradictionem, sicut contradictionem implicat ꝙ duarum albedinum vna faciat subiectum suum album & alia nō, & si sint æquè perfectę albedines implicat contradictionē ꝙ non æqualiter faciant subiecta sua alba, sed omnis cognitio dei intuitiua quę potest cōmunicari homini est vna secundum speciem, & per consequens vna potest æquari alteri in perfectione, ergo cùm aliqua earū sit beatifica (in aliqua enim eorum consistit beatitudo secūdum omnes) necesse est ꝙ quælibet talis sit beatifica & beatificet subiectū suū formaliter. Maior iā patet, sed minor declaratur, quia si nō ois visio dei intuitiua esset eiusdē speciei hoc esset vel ex parte subiecti, vel ex parte obiecti, vel ex parte habitus. s. luminis gloriæ secundū ponētes ipsū, nō potest esse ex parte subiecti vel obiecti, quia idem subiectū vel obiectum eodem modo repræsentatum supponitur vtrobiq;, nec ex parte luminis gloriæ, quia vel tale lumen est necessariū ad visionē dei intuitiuam vel nō, si sit necessarium tunc oportet ꝙ sit in qualibet visione, & sic ex parte eius nulla est differentia, si verò nō sit necessarium, sed potest adesse & abesse tunc non variat speciem.

6 Ad primum arg. dicendum ꝙ maior est falsa, quia nos loquimur de beatitudine prout dicit supremā & perfectissimam operationē homini possibilem, talis autē nō potest esse nisi vna, quia plures operationes specie differentes nō possunt esse eiusdem gradus, & ita impossibile est ꝙ dilectio seu delectatio pertineant cū visione ad beatitudinem prout de beatitudine nunc loquimur. Et iterū dato ꝙ concurrerēt simul ad beatitudinem adhuc maior esset falsa, quia visio & delectatio non concurrent ad beatitudinem tanquā partes vnius perfectionis, sed cōcurrerent solum per modum cuiusdā aggregationis ita quod perfectior esset beatitudo aggregās vtrunq; actum q̄ continens vnum solum. veruntamen siue hæ duæ operationes sint simul siue quælibet per se maximè visio quæ potest esse sine delectatione, dummodo permaneant in sua natura & in sua intrinseca perfectione tantū perficit quælibet earum suum subiectum si per se sit in subiecto quantum perficit quando est ibi cum alia, vnde videns Deum & non diligens ita perfectè videt deū, & ita perfectè beatificatur beatificatione visionis sicut beatificatur beatificatione visionis videns deum & diligens, quamuis vidēs deum & diligens pluribus beatificetur, scilicet visione & delectatione, sed non plus intensiuè ipsa visione.

7 Ad secundum arg. dicendū per interemptionem mūnoris, quia visio quæ fuit communicata Paulo in raptu fuit beatifica beatitudine quæ est per actum in quo principaliter & essentialiter consistit beatitudo, vnde Aug. dicit ꝙ ipse vidit deum sicut & beati vident ipsum. Et si dicatur ꝙ non fuit beatifica, quia non fuit mediante lumine gloriæ, nō valet, quia sicut dictū fuit prius, si lumē gloriæ esset necessarium ad visionem diuinæ essentiæ intuitiuam illa responsio non haberet locum, quia oporteret dicere ꝙ illa visio fuisset mediante illo lumine, si verò lumē glorię requiratur propter permanentiam actus propter quā Philos. dicit ad beatitudinem naturalem requiri habitum. Nō valet, quia vbi obiectum secundum se semper est præsens potentię, & potentia nata est ferri in obiectū, fruitra poneretur aliquid causans permanentiam actus, quia illo excluso adhuc semper esset actus permanens ex præsentia obiecti ad potentiam, vnde si in nobis pro statu vię semper esset obiectum pręsens potentię cognitiuæ, non oporteret ponere habitum ad cognoscendū, vel considerandum obiectum, quia propter facilitatem considerationis ponitur habitus quo quis potest vti cū voluerit, & ratione cuius intellectus faciliter conuertitur ad phantasmata quę repræsentant ipsi obiectū suum. Cum igitur in visione dei intuitiua obiectum secundum se sit pręsens potentię, & si esset absens in ratione obiecti lumen glorię nihil faceret ad hoc vt obiectum haberetur principaliter, patet ꝙ tale lumen non est ponendū propter permanentiam actus, esset etiā repugnantia in dictis, quia secundum hoc visio quę fuit in raptu Pauli sine lumine, & quę est in beatis cū lumine nō differret quantum ad aliquam intrinsecam perfectionem, sed solum differret sicut transiens & permanens, exclusa ergo hac differētia idem esset iudicium de vtraq;. Si ergo visio Pauli fuisset conseruata in sua permanentia fuisset beatifica sicut est visio beatorum cuius contrariū ipsi dicunt, & quia breuitas vel diuturnitas durationis nō auget vel minuit essentialē perfectionem rei (vt ipsimet dicūt) sequitur ꝙ visio Pauli quæ fuit in raptu Pauli fuit æque beatifica sicut si fuisset semper continuata, & si lumen glorię nō requiritur nisi propter continuationē operationis non potest poni sine contradictione ꝙ propter lumē glorię aliqua visio intuitiua sit beata quę sine ipso nō esset beata, & quod diuturnitas operationis nihil faciat ad perfectionem eius.

8 Ad tertium dicendum ꝙ maior est falsa, & minor similiter, maior quæ dicit ꝙ cuicunq; potest communicari visio dei intuitiua absq; hoc quod cognoscat alia quę beati cognoscant, illa visio nō est ei beatifica, falsa est, quia quilibet videns deū dato quod non videret alia, esset beatus beatitudine essentiali, quod patet autoritate beati Augusti. & Philos. authoritate Philosophi qui dicit. 1. & 10. Ethic. quod fœlicitas consistit in operatione respectu obiecti, obiectum autem optimum est solus Deus & nō alia ab ipso. Item authoritate Aug. prius allegata ex. 5. lib. cōfess. Infœlix homo &c. Nec valent duæ responsiones prius datę, prima quæ dicit quòd illa auctoritas intelligitur de beatitudine vię & non patrię, non valet, quia proportionabiliter videtur se habere cognitio dei in via ad beatitudinem viæ, & cognitio dei in patria ad cognitionem patriæ, si ergo secundum expositionem istam ad beatitudinem viæ sufficeret cognitio Dei in via sine cognitione aliorum, videtur quòd visio Dei est in patria sufficiens ad beatitudinem patriæ absque hoc quòd alia cognoscātur in Deo, ipsa etiam expositio secūdum se est falsa, quia cognitio aliorum à Deo magis est necessaria in via ad cognitionem dei in qua consistit naturalis beatitudo quàm sit necessaria in patria, & si loquamur de beatitudine viæ non solum naturali, sed etiam supernaturali quæ est secundum fidem & spem vt faciant ad meritū adhuc exposito nulla est, quia ad illam beatitudinem magis est necessaria aliorū cognitio à Deo quàm ad beatitudinem

patriæ,quia sola cognitio dei in via sine cognitione aliorum quę facienda sunt propter Deū circa seipsum & proximum nō sufficeret ad meritum.Secunda etiā responsio quæ dicit ꝙ si intelligatur de beatitudine patriæ tunc ly propter dicit causam, & sic propter visionē diuinæ essentiæ homo est beatus,sed non sine visione aliorū. Nō valet quia verba Augustini cōtradicunt: dicit enim sic, beatus autē est qui te scit etiā si illa nesciat,ex quo patet ꝙ ad beatitudinē non requiritur cognitio creaturarū neq; sicut causa propter quam neq; sicut causa sine qua non. Minor etiam est falsa, quia nulli videnti Deum cōmunicatur visio aliorum in deo quę non cōmunicetur omnibus videntibus Deum etiā si in raptu & in transitu videant, quia visio Dei & aliorum in Deo non est nisi eorum quæ ex necessitate repræsentantur in diuina essentia,siue sint intrinseca (vt relationes)siue extrinseca(vt quidditates rerum) & hæc nullum videntem Deum latent, nec forte latere possunt, quanuis quibusdam videatur contrariū vt dictū fuit prius,cognitio verō de euentu rerum vtrum sint, vel non sint, fient vel non fient variatur in diuersis videntibus Deum absq; præiudicio beatitudinis, quia cognitio talium non pertinet ad cognitionem beatam per quam quilibet beatus videt à principio quicquid videre potest, sed pertinet ad aliud genus cognitionis quæ est per reuelationem per quam vnusquisque beatus cognoscit illud quod ad se pertinet, & talis reuelatio non oportet quòd fiat viatori si rapiatur ad visionem diuinæ essentiæ, quia nec fuit facta Paulo vt arguebatur. Responsio ad maiorem propositionem sufficit & nihil dubii includit,sed responsio ad minorem vnū dubium includit (hoc scilicet) quòd videns Deum non possit non videre ea quæ ex necessitate in diuina essentia repræsentantur.

QVÆSTIO SEPTIMA.

Vtrum beatitudo sanctorum sit futura maior post resurrectionem quàm sit modo.

Thom.12.q.4.ar.5.

SEptimo quæritur vtrum beatitudo sanctorum sit futura maior post resurrectionem ꝙ sit modo.Et videtur ꝙ sic,quia sicut se habet miseria ad damnatos reprobos sic gloria ad bonos,sed miseria reproborum non solū hominum sed etiam dæmonum erit maior post resurrectionem quàm modo, ergo & gloria bonorum.

2 Item gloria perficit naturam, igitur natura existente perfectiore erit gloria perfectior,sed natura animę erit perfectior post resurrectionē ꝙ sit modo, quia perfectiori modo existet in toto ꝙ separata à toto,tūc verò existet in ea & in toto cū sit naturaliter pars totius hominis, ergo ejus gloria erit perfectior.

3 IN CONTRARIVM arguitur,quia operatio quę in nullo indiget corpore non perficitur in aliquo ex præsentia corporis,sed operatio in qua consistit beatitudo in nullo indiget corpore, ergo nullo modo perficietur gloria per resumptionē corporis. Maior de se patet, sed minor probatur, quia operatio in qua consistit beatitudo non indiget corpore vt subiecto, quia nulla operatio intellectualis indiget corpore illo modo,nec indiget corpore vt obiecto, quia nō fit mediante phantasmate sicut fiunt operationes naturales,quare &c.

4 RESPONSIO. Circa istam quæstionem intelligendum est ꝙ beatitudinem sanctorū augeri post resurrectionem potest intelligi dupliciter. Vno modo extēsiuè quia erit in pluribus. Alio modo intensiuè ita.s.ꝙ anima beata quę nunc videt Deum videat ipsum clarius & diligat eum intensius resumpto corpore,si loquamur de beatitudinis argumēto extensiuè,sic clarum est ꝙ augebitur beatitudo post resurrectionē, quia tunc homo beatificabitur nō solū in anima quoad vires inferiores sensitiuas, & etiam in corpore quantum ad dotes suas,sicut econtrario damnati affligentur nō solum in anima quoad intellectum & voluntatem, sed etiam in corpore quoad sensualitatem, & sic loquitur glosa super illud Apoc.6. Vidi sub altare Dei animas interfectorum, quę dicit ꝙ animæ sanctorū modo sunt in minori dignitate quā futurę sint post resurrectionem,& Hieron. qui dicit ꝙ peracto finali iudicio Deus ampliorem gratiam mōstrabit sanctis, hęc enim maior dignitas vel amplior gratia erit secūdum extensionem quæ erit quoad plura.

5 Si verò loquimur de augmento beatitudinis intensiuo modo quo expositū est, sic est duplex modus dicēdi. Primus est ꝙ beatitudo essentialis quę consistit in Dei visione augebitur intensiuè post resurrectionē.Quòd probatur dupliciter.Primo sic & est ratio in arguendo tacta operari supponit esse,ergo ꝙ habet perfectius esse habet perfectius operari,sed anima resumpto corpore habebit perfectius esse ꝙ nunc habeat separata cū sit pars quæ iam per habet perfectius esse in suo toto ꝙ separata ab ipso., ergo habebit perfectius operari,sed in operatione consistit beatitudo,ergo &c. Secundo sic,delectatio sequens visionem dei proportionatur visioni,sed delectatio augebitur resumpto corpore,ergo & visio.Probatio minoris, quia sicut se habet tristitia ad minuendū delectationem, sic delectatio ad augēdum eam, sicut enim vnumquodq; minuitur per suum cōtrarium sic augetur per suum simile,sed omnis tristitia aduenies delectationi minuit eam ergo omnis delectatio aduenies præexistenti delectationi auget ipsam, sed resumpto corpore delectationi quæ est de visione Dei aduenient corpore adduntur complures aliæ de beatificatione corporis, ergo per eas augebitur præcedens delectatio de visione Dei, & sic delectatio & visio. *Tho.infra. 3.p.d.49 q.1.ar.4. q.1.*

6 Sed illud non videtur valere, primo quia manente eodem principio formali æquè intēto & in subiecto proximo manet æquè perfecta operatio excluso subiecto remoto, sicut videmus quòd manente calore vel colore in quantitate exclusa substantia æquè potest calor calefacere & color seu sicut albedo disgregare si maneret subiectum remotum, sed potentia intellectiua & lumen glorię manent æquè intensa & perfecta in anima separata sicut post resurrectionem,nullum enim istorum intenditur, sunt etiam in anima separata vt in subiecto proximo,ergo manet in anima separata æquè intensa & perfecta operatio. Secundo,quia videmus ꝙ conditio subiecti remoti non variat operationē nisi varietur in aliquo immediatum principium operationis,quanuis enim natura humana sit perfectior ꝙ natura aquilæ,intensius tamē videt aquila ꝙ homo. videmus enim ꝙ variato principio operationis immediato variatur & operatio dato ꝙ non varietur subiectum, & multiplicato multiplicatur absq; multiplicatione subiecti,propter quod tota cōditio operationis videtur sequi conditionem principij immediati secundum se,quum igitur immediata principia operationis in qua beatitudo consistit sit secundum se æquè perfecta in anima separata sicut in ea erunt resumpto corpore, sequitur quòd eorum operatio est æquè perfecta prius vt est postea.

7 Ad rationes opinionis patet responsio.Quod enim primo dicitur ꝙ anima habet perfectius esse resumpto corpore ꝙ separata.Dicendū ꝙ ly perfectius potest esse nomen vel aduerbium,si sit nomē tunc falsum est quod anima coniuncta habet perfectius esse ꝙ separata,quia perfectius esse habere est habere esse quod in se,& in sua natura est magis perfectum, anima autem coniuncta non habet esse quod in se sit magis perfectum quā quando est separata, sed habet omnino idem esse nec intensius nec remissius, & si haberet intensius bene sequeretur quòd intensius operaretur,sed nō habet vt dictum est. Si verò ly perfectius teneatur aduerbialiter sic verum est quod anima coniūcta habebit perfectius esse,id est,perfectiori modo quàm separata, quia pars perfectiori modo existit in toto ꝙ separata ab ipso, & simili modo potest dici quòd habet perfectius operari non intensiuè,quia nec sic habet perfectius esse, sed perfectiori modo, quia est operatio perfectioris, scilicet cōpositi quod est perfectius qualibet sui parte,sed de hac perfectione nō quærimus,sed de illa quæ est per intensionem.

8 Ad secundum dicēdum ꝙ delectatio de visione Dei nō augebitur resumpto corpore. Et cū probatur ꝙ imò, quia omnis tristitia minuit delectationē, ergo omnis delectatio auget eam. Dicendum quòd non sequitur,causa enim quare tristitia minuit delectationē non semper est contrarietas vnius ad alterum, quia non omnis tristitia

con